

bic non est quæstio, sed de tempore seu duratione rei durantis, cuius non negas singula momenta posse à vicinis separari, hoc est, rem durantem singulis momentis desinere esse. Cumque ais, vim esse in nobis quæ ut perseveremus præstare sufficiat, nisi corrupti causa superveniat, non advertitur creatura tribuere perfectionem Creatoris, quod nempe independenter ab alio in esse perseveret, ac Creatori imperfectionem creaturæ, quod nempe per positivam actionem tendere debeat in non-ens, si quando velit efficere ut esse desinamus.

7. Quod deinde addis de progressu in infinitum, nempe non absurdum esse illuminari, à te ipso postea infirmatur, fateris enim absurdum esse in causis ita inter se connexis, ut inferior sine superiore agere non possit, de talibus enim tantum hic quæstio est, nempe de causis in ipsis, non de causis in fieri, ut sunt parentes, &c.

9. Prima lex Naturæ Princip. II. 37. non evertit, sed stabilit allatas jam responsiones, cùm enim dicitur res unaquaque manere quantum in se est in eodem semper statu, non aliter hoc intelligendum est, quam